

psalmodum per eum lectorum et cum hoc 19. psalmos primos. Praemittit etiam: Istum librum dedit Magister baynicus de oyta Sacre scripture doctor. Cui retribuatur deus premium eternum. Amen. Tabula incipit: Beatus uir qui non. Notandum quod adam triplici genere peccandi deliquit &c. continet graviora momenta in ipsa Lectura deinceps discutienda, sed non pertingit ultra Psalmum XLIX. Succedit prolixum Prooemium fol. 17. hujus initii: Exurge psalterium. Ps. 56. et 107. Re. p. et Domini. Quia scriptura libri psalmodum seu ipsum psalterium plus ceteris in ecclesiasticis officiis frequentatur, oportet ut ad ejus intelligentiam capeffendam cuiuslibet ecclesiastici viri animus uehementius accendatur &c. Post haec Περολεγόμενα Ps. I. expositio sic infit: Beatus &c. Hic primo secundum glossam considerandum est, quare isti psalmo non apponatur titulus &c. Finitur luculentus Tomus in initio Ps. XX. his verbis: 3^{uo} desiderium ad hoc ordinate passionis — —. Nec mirum; praeter Textum enim declarationem formantur et solvuntur Dubia e Theologia tam dogmatica, quam morali.

CXL.

U. 578

Codex ejusdem conditionis Folior. 230. continuat praecedentem Lecturam a Ps. XX. ad Ps. XXXIII. v. 16. et haec verba: *et cum credimus, quia est, et cum videbimus sicut est. Hec augustinus.*

CXLI.

Codex ejusdem conditionis Folior. 230. continuat praecedentem a Verbis citatis usque ad Ps. XLIII. v. 6. et Jobi verba: *et cuiusvis manus pugnet contra me — —*. In medio hoc Psalmo adhaesisse Nostrum, vix veri speciem habet; quousque tamen progressus, et an totum Psalterium emensus fuerit, qui labor illi IX. certe Tomos peperisset, mihi non liquet. Interea, quod superest, vastam Viri rerum theologiarum cognitionem commendat, digni sane, qui a Tritemio n. 687. Gymnasii Wienensis unicum decus et plantator a principio adpellatur. Gente nempe Friso cum Henrico de Hassia Parisiis evocatus anno 1384. strenuum Collegam suum, ut Viennam, ita et in tumulum commitatus est a. 1397. ut pluribus in Scriptt. Univ. P. I. p. 58.

CXLII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 36 ut videtur, XI. Folior. nunc 84. f. min. caractere Langobardico minutiore, sed nitido exaratus, rubricis distinctus et olim Congregationis sancte Justine de padua deputatus monasterio sanctorum feuerini et fossii (Sofii) videlicet Neapoli continet Scholia in Psalterium, quae tamen a Psalmo XLI. ad Ps. LXXXIX. excidere, ipso etiam Codice primoribus foliis non parum situ, mucoreque vitato. Thecae tergo inscriptum est recentiore manu: *Commentaria in Psal-*